

Individuationis Hanc *Fr. Murcia* cuidam *Carthusiano* in 2. *sent. d. 3.* qui an sit *Dionysius Rikelius* (sanè hunc in sententias scripsisse certum est) dicere non habeo; *Fonseca Nicolao Boneto 8. Met. c. 1.* id defendenti, tribuit *V. Met. c. 6. q. 2. §. 1.* Dupliciter autem capi potest partim ut existentia realis aliquis sit modus rem intrinsecè individuans ab ejus essentiâ à parte rei distinctus, quod si ita est, defendi minimè potest, ut mox patebit. Sin ab essentiâ solùm ratione differt nobiscum egregiè coincidit, & exprimit præterea quò respectu essentia sit principium individuationis. Atq; ita intelligo *Excell. Scherzerum* Præceptorem meum summo studio observandum *q. 43. Breviar. Metaph. Eustachij de S. Paulo.*

§. 14. Nobis igitur cum prioribus potissimùm agendum est, quos refutat *Scot. sent. 2. d. 3. q. 3.* & ejus sectator *Bassol. ib. q. 4. art. 1. f. 179.* Argumentor autem I. Si Essentia & Existentia sunt idem à parte rei, sequitur quod Existentia sensu adversariorum non sit principium Individuationis. Sed verum prius, E. & posterius. Minorem sic fundamentaliter probo: quæcunq; realiter differunt possunt à se invicem separari. Sed essentia & existentia non possunt separari, E. Quæ ad majorem respondent *Capreol 1. d. 8. q. 1.* & *Cajetanus de Ente & Essent. q. 11.* nullius sunt momenti. Minor probatur partim quod essentia nō possit auferri partim existentia.

§. 15. Illud probo: omne quod aufertur existit, præciso eo à quo aufertur, ablatio enim tanquam actio ad id à quo aufertur terminatur. E. Essentia existit præcisâ existentia, quod implicat. Hoc, quòd existentia non possit auferri ab essentiâ negant adversarii, quorum longam seriem vide apud *Petrum de Posnaniâ Scotistam l. 1. sent. dist. 36. q. unic. pag. 976.* Sed argumentor contra: Essentia ablatâ existentia aut est ens reale aut nihil. Si nihil, aut non fuit in creaturis, quod absurdum; aut non distincta ab existentia fuit, quod intendo. Sin Ens reale, fuit aut purè potentiale, aut Ens actu. Sine dubio illud nam non potest esse actu nisi per existentiam, quam tamen separatam esse præsupponimus. Si igitur essentia est purè potentialis, omnes essentiæ sunt materia prima. Nam duo purè potentialia non differunt, ne relatione ad actum quidē, quia hæc Relatio cum sit ad Ens in potentiâ, non est realis, Si igitur essentiæ non differunt à materiâ, sequitur quòd sola materia sit
pars